

ergo vacuum dominium est, hæc inanis est gloriæ ostensio. Mittamus vacua, & inania, ne, dum hæc captamus, ipsas res amittamus. Juxta scripturas Deum colimus, qui cœli terræque Dominus dicitur, & implere cœlum terramque. Christum etiam hominem adoramus, qui ad hanc super omnes cœlos majestatem evectus est, ut divina gloria, præsentiaque, & potentia omnia impleat; quæ condita sunt; visibilia & invisibilia. Atque nunc Cornelium dimittimus.

Bellarmin.

§. 27. Bellarminus, cujus & supra §. 7. mentio est facta, conferendus est. Ille argumentum Orthodoxorum, pro omnipræsentia Christi hominis, quam ille *ubiquitatem* vocat, sumtum ab exaltatione Christi hominis, ejusque ad dextram Patris sessione, impugnaturus, varia affert, lib. 3. de Incarnatione c. 15. quæ contrahenda sunt, & conferenda in pauca. Ait ibi: *Respondeo, & dico tria.* Quia vero in tertio subsistit, priora duo vel attigisse suffecerit. *Prima responsio petitur a dicto Sap. III, 1. ubi animæ justorum in manu esse Dei dicuntur. Unde non sequitur, animas justorum esse omnipræsentes, quamvis sint in omnipræsente manu. Adeo inferri non debere: Christus homo est in dextra Dei, ergo ubique, quia hæc dextra ubique est, Atqui responsio in textu est: Justorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis: Vatabl. nec attinget illos cruciatus. Sunt itaque in manu Dei protegente, defendente, servante ab omni cruciatu & tormento. In quam sententiam & Christus dixit Joh. X, 28. 29. Ego vitam æternam do eis (ovibus meis) nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam e manu mea. Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus est: & nemo potest rapere e manu Patris mei. Christus vero ita in dextra Dei esse dicitur, ut sedere in ea dicatur, Rex & Dominus, & cum Patre regnare, & sedere in throno ejus. Hac ergo dextra, & virtute Dei, regnat, suosque servat Christus homo, qua servantur justorum animæ.*

I.

Resp.

II.

§. 28. *Secunda responsio est, per dextram intelligi beatitudinem æternam, non autem majestatem aut potentiam divinam. Hanc sententiam, ait, ex eo posse confirmari, quod apud antiquos, sedere a dextris, erat minus honorificum, quam sedere a sinistris. Rationem probat 1. testimonio Antonii Nebrissensis. 2. sigillis plumbeis Pontificum & multis antiquis picturis, in quibus Petrus ponitur a sinistris, cum tamen constet, Petro semper delatum primum locum fuisse. Hinc concludit:*

dit: